

AMPLISSIMO, SPLENDIDISSIMO

QVE SENATVI CIVITATIS BRVGEN-

sis, Gulielmus Pantinus Tiletanus

S. D. P.



MULTA me de uestra huius urbis, Consules ac Patres augustissimi, ornatu ac splendore dicere posse uideo, quibus illa aedificijs, qualibus templis, quantis turribus tota sit exstructa. Multa quoque de gentis & incolarum nitore, opulentia, moribus, humanitate atque elegancia. Multa de senatuum habendorum locis ornatissimis, ac multiplicibus. Multa de uestris legibus sanctissimis, & in iuris emendandis cum summa equitate seuerissimis. Multa denique de religionis fide uetusta, atque constantia: de iuris pietate & sanctimonia praeclaris: de iuris & equitatis scientia ornatis: de medicis apprimè doctis: de philosophis sapientia conspicuis: de publicis humaniorum literarum diuinarumque rerum professionibus, prudentius sanctiusque olim institutis, quam stuasius etiam nunc frequentatis. Sed nihil horum attingere in animum induxi meum: tum quod ea & doctrina & elegancia praestantior em comia stem facile desiderent: tum quod pro suo merito atque amplitudine, nec epistola angustia, nec nisi pleno fusoque opere comprehendantur. Id tantum exponam, quid mihi demum tam docto hoc saeculo, ad aliquid, in uestro praecipue nomine atque patricinio divulgandum, animum subdiderit, homini quiduis potius quam ostentatori, uel ambuioso. Consciens enim ipse mihi sum, cum ingenij, tum eruditionis huius mea, nimis quam exilis, tenuisque. Et gloriam popularem tam cautus semper horruis, quam mihi eandem difficile cernebam consequi. Submisisse degere, modeste habitare, subobscurè iucundèque cum amicis cumque libris uersari, utinam tam fortunae studiaque paterentur mea, quam animus id meus ingeniumque postulent. Licet fors adhuc nostra uoluntati, quam cum mea illustri uel re uel uita sit, melius responderit. Superioribus itaque annis, nulla nec me uenditandi cupiditate, nec honoris ambitione impulsus: sed eorum qui pro suo ac praceptorum in discipulum tum iure imperare ac cogere poterant, arbitratu inductus: altero D. Hieremia Brachelio, subinde foras medicina faciendae causa euocato: altero D. Carolo Gosino, florentissima Louaniensis Academiae summa administratione tunc occupato: utriusque medicina professoribus, absit inuidia dicto, longè principibus, aliquid & ipse tum experiri, ingenij doctrinaeque tenuitatem nequicquam illis excusans, iubebar ac praecipiebar. Sed quid multis opus est? Nolens uolens, dum de authore praelegendo mecum diu cogitarem, tandem agere obtemperavi: authoremque demum, quem nunc propono, delegi. Nam schola nimirum digni mihi soli prope tum uisi sunt, & Graecis Hippocrates & Galenus, arte & facundia doctrinaque, citra controuersiam, omnium medicorum, quos orbis uiderit, absolutissimi. Nisi si quis pariter Paulum atque Aetium eodem illo propemodum albo sorte comprehendi debere,

bere, contēdet. E Romanis certē Latineq; loquentibus, unus Cornelius Celsus, qui enarrationis indigere uideretur, occurrit. Arabes nec damno, nec omnino repudio: sed multum ac merentur demiror, proboq; nec ista tamen arena, ista uē laude, nostro duntaxat seculo, satis aptos iudicauī. Recentes porro, qui toto nunc orbe plurimi sunt, neuiquam inepti, sat maturuisse non sum arbitratus. Mira-
 mur siquidem maxime, nescio quo iudicio consilioq; ueteres: & annos plerunq; ac uetustatem, non uiros doctrinamq; aestimamus. Quare Latine scholae, Latini-
 num medicum, Latinum Hippocratem, Cornelium Celsum, medicum uetustissi-
 mum, eundemq; multo facundissimum proponendum existimaui. Verū neq; totum hunc prælegere spes erat: neque temerē quamlibet eius partem arripere placebat. Cæpi idcirco à capite ad calcem Hippocratem, quem tum Iani Cornarij bene religiosa uersione, Latinum totum, ex peiore Græco acceperamus, denū re-
 uoluere. Cæpi deinde & Galenum, eadem de materia copiose scribentem, con-
 ferre. Cæpi denique & ueteres & neotericos, quoscunque inuenirem eadem de re commentatos, plurimos adiungere. Ut alia, unde mutuatus esset Celsus, odora-
 rer: alia quæ recte, ac doctrinæ ueterum conuenienter scripsisset, quæq; perperam & inscite insipideq; commutata irrepissent, intelligerem. Quo me studio conse-
 cutum spero, ut & fontibus indicatis, haudquaquam paucis, & apic scriptis ex-
 plicatis alijs, & mendis temporum iniuria quibusdam illatis, iamq; detectis, ma-
 iore ac antè cum fructu, minimaq; offensione, Celsi doctrinam omnes cognoscere & amplecti possint. Non etenim me fugiebat, quàm omnes literarum pene cu-
 pidi, hoc uno authore in ualetudine tuenda niterentur. Nec me clam erat, quàm
 fortassis nulli, medicos bonos semper excipio, præceptionibus his sapienter recteq;
 uterentur: dum illi nec doctrinæ modum, nec præceptorum uim, nec ordinis rati-
 onem, nec breuitatis obscuritatem animaduertent, hiulca, truncata, in alienum
 locum translata, uanaq; nonnulla obseruarent forsitan multo minus. Inchoaue-
 ram igitur tum ista, atq; Syluam enarrationum quarūdam ex optimis quibusque
 authoribus, quoad memoria lectioq; suppetebat, collegeram, quasiq; compilaue-
 ram. Quam ego iam demum, ex quo in uestro, Patres consultissimi, hoc oppido ac
 municipio commorari institui, aliquantulum, quoties uacaret, digerere atque
 componere cæpi, ut ocij negotijq; mei ratio aliqua mihi constaret: & ut uel hac
 opera animi intentio nobis acueretur, studiaq; utcumque fulcirentur nostra. Ve-
 rū enim uero quum mihi diffiderem in plerisque locis, nisi eadem expendenda
 primum D. Petro Dacqueto, elegantis optimaq; medicina, & Græcè Latineq;
 docto uiro, olim studiorum Louanij socio suauissimo, nunc ciuitatis Furnensis
 medico doctore meritisimo. Rescripsit is benigniter, & annotauit pauca. Nec
 hoc contentus, nisi mox præceptoribus meis, quos suprà dixi, eadem omnia, ut
 pro suo illi arbitrio demerent, adderent, uerterent, mutarent, & uitæ necisq; sibi
 potestatem in omnibus solidam usurparent. Ostendi postea & alijs, non ijs qui-
 dem omnibus, nec nullis medicis: sed amicis, sed iudicio, sed eruditione fideq; præ-
 stantibus. In quibus fuere D. Leonarthus Casenbrotius, & D. Andreas Ve-
 salius: alter Reipublicæ nostræ consul atque gubernator prudentissimus, & iuris,
 omniumq;

omniumq; artium doctrina ornatissimus. Alter Caesaris Caroli, eiusq; curiae medicus, ac uere optimo toti orbi laudatissimus. Qui mihi omnes suis partim uerbis, partim literis, ut eadem quamprimum publicarem, principio suaserunt: mox cunctante etiam rationu multis arietibus hortati sunt, & impulerunt. Quin & haec qualiscunque fectura, à capite ad calcem lecta est à D. Cornelio Baersdorpio, Caesarea Maiestatis Protomedico, ignoto mihi quidem illo, sed nunc amicorum opera non omnino ignoto. Is autem, ut editionem maturarem, author fuit. Nam scripseram initio certe tantum mihi. Ostendi, inquam, illis solum, quo quid studio essem adeptus meo, cognoscerem, & quo uel meliora in plerisque docerer: praesertim in tā deprauato authore, neminiq; haecenus, quod sciam, aut uiderim, plene tractato. Brachelij enim scripta, & quasdam observationes, serò mihi uidere contigit. Adde huc etiam, in quo sum authore duobus duntaxat exemplaribus adiutus: altero Salingiaci excuso, Caesarij, hominis acutissimi, annotatiunculis operaq; paululum modo sanè castigato: altero uetustiore paulo, Venetijs edito, è Schoenhouij, Diui Donatiani Brugensis Canonici eruditissimi bibliotheca mihi tradito. Pertimescebam igitur primum, & mihi displicebam in plurimis: idemque etiamnum mihi in multis displiceo. Aliorum quippe iudicia hoc tempore longè cultissima, meritò formidabam: qui quamuis nihil damnarent publicè, nec carperent, qui talium est candor, quicquid malignè, tamen rectora nossent, & nostra clam obelis confoderent, atque imprudentem modo temeritatem secum tacite suspicerent. Aliorum rursus inuidiam, atque calumniam, aduersus quam ne bene quidem quippiam dictum, aut scriptum tantum esse solet, metuebam, atque adeò exhorrescebam multo magis. Maxime quum in meis ne mihi quidem ipsi satis, ut dixi, in omnibus facerem: quin alicubi dilucidior mihi auctoritatem poscerem: alibi efficacior rationem, qua mea confirmarem ac tuerer, expeterem. Neque uero sanè orationis character impar sibi ac uariis, parum praeterea mihi displicuit. Malui tamen id commodi subire, quam expressis auctoritatibus non nuti. Quae quum de uarijs erant auctoribus sumendae, quomodo non etiam quae scriberentur diuersa essent, & apparerent? Idq; saepe non tam interpretum culpa & imparitate, quanquam & horum merito nonnihil quoque: ac eorum auctorum, quos sunt interpretati, stilo quodam proprio & ingenio. Quàm si quidem Dioscoridis dictio ab Hippocratica dissideat, et ab utraque Galeni, Pauli, Aetij, Alexandri, & adeò hi quoque ab inuicem discrepent atque discordent, nisi qui in eorum libris parum est uersatus, nemo ignorat. Sciebam equidem aequabile enarrationis filum multo iucundius ac nitidius fore: sed plus fidei & ponderis auctoritatibus classicorum medicorum habitum iri, idem non nesciebam. Quamobrem potius duxi, uariis oratione atque sermone, quam sententijs ac rebus uanus uideri: & horridior alicubi, quam infirmior apparere, pulchrius existimaui. Praesertim quum Cicero Attici nonnulla quoque, quae horridula atque incompta uiderentur, tamen ornata, quòd ornamenta neglexissent, fuisse: & ut mulieres, quia nihil olerent, bene oluisse scribat. Nihil interim grauius molesteq; laturus sum, sed in magna potius amicitiae & gratiae parte positurus, quis

quis me humaniter, eruditè, candide, uel errorum admonebit, uel somnolentie socordiaq; insimulabit. Quoniam nihil aequè, quàm doceri, amo. Nihil magis, quàm scire & discere, aueo. Quo nomine & equiorem me lectorem habiturum confido: & si quis iniquior extiterit, uestra, Senatores prudentissimi, beneuolentia me sulciam & sustentabo: quorum fidei, quicquid est huius meae primæ fœtura, dedico ac nuncupo: qua mea uel cadat, aut recto stet fabula talo. Quod eo etiam feci libentius, quod uestra, in hac amplissima Republica regenda, ac gubernanda, prudentia perspecta, in iure dicendo fides cognita, in bonis defendendis æquitas & constantia nota, in seditiosis & sceleratis puniendis seueritas ac fortitudo manifesta esset. Quas si uos uirtutes ulli unquam ciuium impendistis, medicine, non mea, nec nouæ, sed antiquissima, & ab optimis authoribus comparata, præstare debetis: quæ non unius alteriusq; iniuriam & litem de agris diuidundis, de hereditate herciscunda, de stillicidijs statuendis, de furto absentibus tribus capellis, propulsare & dirimere contendit: sed uestrâ, omniumq; ciuium salutem tueri, uitam propagare, ualetudinem prosperam florentis instar ueris custodire pollicetur. Vestrum itaque, Iudices æquissimi, uestrum inquam munus est, post religionem & secundum iura tum humana, tum diuina, hanc artem in uestra Republica pro maiorum ac patrum nostrorum omniumq; sapientum more sartam tectam in primis conseruare: qui & uiris atque artificibus idoneis caruistis nunquam, et habetis hodie quos cum summis conferatis. Si uestro sunt fauore, uestraque munificentia contra maleuolos, contra indoctos, contra deceptores uobis sustinendi. Isti, si nō ad Bæotos et Hyperboreos ablegadi, certè à temeritate cōpescendi sunt. Qui artem ualetudinis humanæ, omnium multo difficilissimam longissimamq; impudenter inuadunt, & improbe contaminant, polluantq;: Vobis quoque uestra tribunalia, et summa consilia, opinor, patronisq; uestris causarum sua munera, si par illic licentia foret, erepturi. Paucos habetis, ac merito, causarum litiumq; de rebus caducis, & quæ semel amissæ, tamen reparari possint, patronos. Et habetis delectos, iuratos, & eruditione, iudicio, fideq; commendatos. Nec aduocatos quidem, pulsos rabulis, nisi doctos, & à doctis approbatos. Uix uerò ac ualetudinis consultos & magistros habetis analphabetos, institores, seplasiarios, fatuos, mulierculas, aniculas. Quorum ut quisque impudentissime callidissimeq; circūuenire nouit, ita summus et laudatissimus medicus uulgo iudicatur. Olim medici summi philosophi, & doctissimi ac sapientissimi homines soli extitere, qui dijs pares habiti, immortalibus honoribus, opulentissimis muneribus, sanctissimis priuilegijs principū Cesarumq; digni sunt existimati. Nunc paucorū eadē est felicitas: & ceterorum ars ad summam uanitatem, & extremum contemptum propudiumq; uulgo prostrata iacet. Non bonorum profectio, qui in omnibus iam ciuitatibus, maximeq; uestra, fortassis abundant, merito, aut penuria: sed istorum agyrtarum ac ueneficorum maleficio. Quò fit, ut non medendi medicinam nunc artem, sed lotia prope contemplandi rationem solum definias. In quo mihi negotio uaticinium à Pythia & Delphico oraculo, nō à philosopho ac medico ualetudinis consiliū sepe peti uidetur. Resundit hic, uoluit, attollit, demittit: cominus, eminus, afficit,

aspicit, intuetur, nostra Pythia, nostra alicunde diobolaris Baucias, pro tripode urinam: Nox non quid uiderit, nec quid obseruarit, sed quid suo illo ueluti enthusiasmo perflata, ad fallendum & fucum faciendum excogitauerit, profatur. Caput, lumbos, renes, artus, iecora, coxas, intestina, pectus: febres, dolores, cruciatus, fluxiones: stipata, patefacta, soluta, conclusa: sputa, mucos, urinas, humores, tussis, purgamenta, flatu: hepar absorptum, sel ereptum, cor exustum, lienem submersum: denique ficta, dubia, uana, monstra uniuersa, ut Delphis olim fiebat, loquitur. Astat quae intulit, obstituto capite, & statua taciturnior omni. Ac postremo illa (ô mores, ô tempora) praclare scilicet uaticinata creditur, si plurima quae non essent mentiendo, paucissima diuinauerit. Sic iam ex medicis uates, e curatoribus coniectores, atque adeo è mortalibus diuini circulatores, si plebeiam & stultam persuasionem sequi, & uulgo famam nostrum quae nomen tueri uelimus, fieri propè cogimur. Dum bona pars non quid malo praesidij sis daturus percontatum, sed quid ad matellam nugari & garrire queas auditum ueniunt. Verum legitimi medici procul ea facessere iubebunt: atque agnitudinis potius causas, genus, accidentia, locum, tempus, modum, etatem, temperaturam, uictum, & uires denique uniuersi corporis, tum colorem, habitudinem, calorem cum ualeret prospere, sciscitando omnia quam diligētissime discunt. Deinde hinc, prout morbi forma & constitutio id postulat, uel pulsus arteriarum explorabunt, uel lotij, uel sputi, uel deiectionis naturam contemplabuntur. Tum hinc quoque, quid ars ac natura fore promittat, prudenter exponent. Postremoq; curationem aptā & tutam, citam quae, quoad res patitur, accommodabunt. Id etenim factitarunt ueteres. id ars proficitur nostra. id scholae, id ratio, id magistri ac medici laudatissimi semper docuere. Quoniam medicina curationem affectae ualitudinis, non futilia ista uaticinia promittit. Medicus non diuinando fallere: sed animo toto, & oculis, auribus, tactu, antegressa, praesentia, secutura, & ex his demum aegri salutem quaerere debet. Prudentis nanque hominis est, quod inquit Celsus, eum qui seruari non potest, non attingere: ne speciem subeat eius occisi, quem fors ipsius peremerit. Deinde ubi grauis metus est, sine certa tamen desperatione, indicare necessarij, periclitantis in difficili spem esse: ne si uicta ars malo fuerit, uel ignorasse, uel se felisse se uideatur. Sed ut haec prudenti uiro conueniunt: sic rursus histrionis est, paruam rem attollere, quo plus praestitisse uideatur. Obligari autem aequum est, confessione promptae rei, quo curiosius etiam circumspiciat, ne, quod per se exiguum est, maius curantis negligentia fiat. Quocirca lotia consuli, ne quis erret, haudquaquam damno: sed abusum reprehendo duntaxat eorum, qui illinc omnia cognosci uolunt: & qui ex illo meras nugas audire gaudent: qui quae medicum, eius potissimum iudicio metiuntur. quum nihil sit fallacius, incertius, inconstantius in cuncta medicina, urinae nuda contemplatione: si uitium uenis, renibus, aut uesica non abdatur, & cetera artificis munia si deferantur. Verum in nostrae Enarrationis progressu quaedam amplius dicendi dabitur locus. Nec enim ista sola uitia artem hanc cum summè necessariam, tum antiquissimam, plane quae diuinam polluerunt: quum aliam facile non inuenias,

Ad Glauconē
Galenus.

Lib. 5. cap. 26.

facilius immundiusq̃ omni barbariei cœno atque abusu contaminatam. Ecquis
 enim obsecro, morborum naturam, & quasi ætatem, partesq̃, uel arte tractare,
 uel obseruare usquam cernitur? Quis, etiam si uelit maxime, & conetur, recte cu-
 rare permittitur? Quis, si febris aut cuiusq̃ agrotationis, non dicam primis die-
 bus, sed impetu primo iugulum non præciderit, protinus eo uel optimo medico de-
 sert, non alium quemlibet hominem, sepe etiam fatuum consulit, & accersit?
 Quis, uel in sano, nisi quod ipse ante approbarit, & rectum esse senserit, à medico
 quamuis docto probòq̃ fieri permittit? Quid? quare? quo pacto medicus daturus
 sit, rogant: quasi iam discipulum informatum, non ualitudinis præceptorem con-
 sultu ueniant. Sed nã ego ineptus sum, qui has ineptias hoc loco memorare ag-
 gredior, qui nec abusum omnem huius artis paucis uerbis aut paginis complecti
 possim: nec uerò, si possim, hic proposuerim. Namq̃ id solum nunc quarebam,
 quum ~~ποικίλεις λαὸν~~ Homero, & summum Reipublicæ patriæq̃ consilium ac
 parentes maximo merito Tullio uocemini: & quando cuiusmodi pastor est, tales
 fieri oues, & parentem ac principem sequi eius proles ac ciues constat: ut uestro
 consilio & auctoritate atque exemplo, inspidas istas opiniones, quibus nihil per-
 niciosius in hominis uita haberi potest, uestre Reipublicæ ciuiumq̃ animis exima-
 tis: quo tandem medicos, non urinariorum modo uates, atque indoctos sicarios, agno-
 scere & expetere discant: eosdemq̃ ab arte, ab animo, à fide, à studio: nō è lingua,
 cultu, fronte, opibus, impudentia, garrulitate æstimare consuecant. Neque enim
 eò hæc uitia minora sunt, quòd totum propè orbem eadem stolidi persuasio perua-
 serit: sed hoc uestre urbis, uestraq̃ (Senatores amplissimi) laus amplior futura est,
 quo populus uester alijs cōspicietur prudentior. At dicet mihi iam quispiam, scio,
 è pigmentariis istorum, & bonarum uidelicet anicularum amatoribus: sa-
 nant isti nimirum multos, & illi quos tu ab arte methodoq̃ commendas, plurimos
 incuratos deserunt. Quis non à Pythia, aut suffarcinata Thaide ualitudinem con-
 sequi, quàm ab Hippocrate torqueri, aut à Galeno destitui malit? Nihil siqui-
 de mea interest, unde adiuuer, quis sit, agyrta, pharmacopœus, institor, indoctus,
 an amethodus sit: si iuuat, si doloribus eripit, si ualitudinem restituit, si agrota-
 tioni medetur, mihi medicus est: sin malo cedit, sin uitium producit, sin agrū ar-
 te torquet, Hippocrates sit, Apollo sit, Doctor sit, mihi tortor est. Medicū haud
 nomine & professione, sed euentu et ualitudine mea metior. Et hæc ego tibi sanè,
 ô amice, libens pleraque largior omnia. Nam quis in portum è tempestate deferri,
 uel nullo, uel Thrasilao furiosoq̃ gubernatore, quàm Ulysse rectore, aut quàm
 Neptuno, peritissimoq̃ nauclero per undas, perq̃ procellas iactari, non malit?
 Quoquo pacto adepta quiete frui, quàm incertam seclari, potius est. Sic & ualetu-
 dine, fateor, partam, unde habeamus, an à Circe quapiam, an ab Aesculapio, ni-
 hil referre. Sed querendā unde petamus, arbitror interesse plurimum. Hoc enim,
 non illud in questione nostra positum est. Age igitur denuò: In acie aut tempesta-
 te graui sis constitutus: Alexandrum ibi, aut Iulium Cæsarem, Ulyssem hic, aut
 Aeneam quempiam, quàm è turba quemlibet, & proletarium potius expetas?
 Annus, nisi mens sit læua, scio. Et tamen nec illi uictores fuisse semper: nec hi

tempe-

tempestatibus uexati nunquā. Atque inferiores multo, nulla prudentia aut arte praeclari, uicere saepe, & ex alto portum frequenter sunt ingressi: sic quoque in medicina, nec optimi curant semper, uel morbi uolentia, uel aegri inobedientia, uel aliorum improbitate superati. Nec imperiti sanant nunquā, quoties in quod rectum sit incidunt ac impingunt uerius, quā id consequantur & inueniant. formulas isti quasdam plerumque à doctis medicis acceptas, uel usu crebro comprobatas, nullo artificis iudicio, nulloq; usus examine adhibito, sed quasi iacta alea, aut praenictis oculis caci, ignariq; ecquid respondeant, usurpare conspiciuntur. Haec enim illa est istarum muliercularum, & multorum pharmacopæorum praecleara scilicet scientia: hac illa sunt circumforaneorum unguenta: hi illorum pulueres, haec nundinationes, quas alij ab equo, alij à mensa exposita quouis tempore, cuilibet homini, omni loco impudentissimè proclamant, atque obtrudunt. Non res equidem semper improbas, sed improbe, imperitè, indocte, fere semper usurpatis: quibus idcirco alios iuuari, alios magnopere ledi saepenumero cernas. Quum bonus ac doctus medicus, si quando ob causas modo dictas nihil inueniat atque emendet, certè sua ope suoq; facto nihil unquam ledat. Nam aliud profectò fieri non potest, in ijs rebus atque artibus, in quibus fortuna naturaq; ac fata iuxta dominantur. Nihilo tamen minus optimos probatissimosq; semper eligere, & ijs uitam fortunamq; committere nostram, tutissimum perinde ac callidissimum fuerit. Propterea quòd ijs, et ea quaecunque inferiores fortassis, & quae isti nullo unquam pacto consequerentur, nisi fortuna prorsus inimica, facile adipiscantur. Imperiti uerò aut horum euentum capient nunquam, aut felicitate singulari, non prudentia industriaq; sua capient. Memini itaq; nec nego, in medicina quos Hippocratis successores, nec Theophili uel Galeni amuli diu tractos expedierunt, temerariam medicinam Petronis interdum restituisse: fateorq; idem sanitatem & per medicamenta crebro quasitam esse frustra, & sine ijsdem aliquando fuisse redditam. Cumq; eadem omnibus non conueniant, nec possit medicus abditas saepe causas ingenio solertiaq; assequi, fieri nonnunquam, ut quos ratio non restituerit, temeritas etiam adiuuerit. Nec tamen ideo non peritis & doctis potissimum ac solum utendum est. Non ferit hic uidens ac prudens, quodcunque minabitur arcu: & ferit interdum in aere uolucrem cæcus ille, imprudensq;. Num idcirco non hoc sagittario deinceps, sed illo potius uti cupies? Nisi cæcus idem, & insipiens. Quamobrem breuiter, si non modo in omni alia arte, sed multo etiam magis in medicina, bonis, eruditis, fidelibus ac studiosis artificibus inniti, minimum omnino habet periculi: quisquis uitam ac ualitudinem diligit suam, eam, si cuiquam, laudatissimis hominibus, & qui tales omni nixu praeclearaq; cum laude sectati sunt, concredet, permittetq;. Talis porro inter Latinos medicos facile summus, noster Cornelius, etiam per se haberi debet, qui & artem quoque militarem, & disciplinas fere Græcas omnes magno nitore & cultu amplexus, eas Latine loqui docuit: & ex his medicinam omnium nostratum princeps ita absoluit, ut emulari potius multi, quā assequi parem laudem possint. Quem nos studio nostro, spero, sic illustrauimus, ut maiore cū uoluptate & intelligentia legi, & emolumento locuple-

Celsus libro 3.
cap. 9.

Libro 7. in praefatione.

locuple-

locupletiore usurpari plerisque nunc possit. In quo sicubi ulli multa, & superstitiosa forsitan quaedam exigere uidebor: cogitet is, & ueteres me ad scriptorem antiquissimum per omnia propè secutum esse: & ualitudinem institui rem cum primis arduam esse, etiam quum ei seruanda nihil defuerit. Eum uos, Proceres grauiissimi, nunc oro atque obtestor, uestro fauore sic adiuuate, ut non solum eius utilitatem, quam nonnullam fore arbitramur, omnes cognoscere, & paululum modo degustare uelint: uerum etiam plerique magna illius suae ualitudinis ac salutis praesidia, momentaque capere possint. Ita enim prodesse sub uestro numine & auxilio multis ista poterunt. & legentur, quacumque de medicinae reliquis partibus utiliter scripsit Celsus, multo magis cum benigne, tum cupide: & simul calcaria subdentur mihi, ceterisque, ut quae nobis adhuc inchoata sunt, rudiusque concepta, ea alacrius deinceps, & studiosius, cum informemus, tum uerò excolamus. Valete. Brugis, Anno Domini M. D. L I. mense Aprili.

ΠΕΤΡΟΥ ΔΑΚΗΤΟΥ ΕΙΣ ΤΑΣ

ΥΛΕΡΜΟΝ ΠΑΥΤΙΝΟΥ ΔΥΣΧΗΜΕΙΣ
ΕΠΙΧΕΙΜΜΑ.

Ὅστις ἀν' ἐνέκτως διάγειν, ἀνόσως τε βιάσθαι
τῆς φρονός δὲ μὲν ἔχων φροντίδα τιώδῃ λάβῃ,
δόγμαται ταῦτα δαίς παν πίνῃ, ἢ μέγ' ὄναιτ' αὖ
βύζωνος τε τυχεῖν, ἀκμαῖα τε βίῃ.
δοῦναι ὅτ' οἱ τε σοφοὶ καὶ ἀκέρως εἰς τὸ δ' ἔχουσιν
παύδ' ὅδε συμπαλίσας εἰς κεφάλαιον ἄγει.

